



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 7. Navarræ Regis edictum pro vindicanda sua secta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.

§. VII.

A.C. 1585.

Navarræ Regis edictum pro vindicanda sua secta.

Thuan. l. c.

Spond. n. 5.

Davila

pag. 588.

Mem. de la

Ligue p. 192.

Sub idem tempus Navarræ Rex Bergeraci agebat, qui cum se tanquam hæreticum, & post pœnitentiam in hæresim relapsum, Ecclesiæ, & Catholicorum infestum hostem, ac denique quietis publicæ; perturbatorem ab omnibus passim proclamari comperiret, se purgare nitebatur, divulgato hanc in rem quodam edicto hujus tenoris: „hæreticus non sum, nec relapsus crimen mihi impingi potest, minus vero, velut Ecclesiæ hostis haberi valeo, quippe de salute æterna tantum sollicitus, quod veteri, ac novo testamento, Symbolo Apostolorum, ac formulis fidei ab antiquis Ecclesiæ patribus, quibus Orthodoxi a Sectariis discernuntur, compositis, antiquisque conciliis continetur, toto pectore amplector, omnemque doctrinam Dei verbo, & Patrum Orthodoxorum decretis contrariam, & ab iis damnatam ex corde detestor, existimo autem, quod cuivis eam Religionem sequi liceat, quam juxta conscientiæ suæ præcepta meliorem esse arbitrat, usque dum in legitimo, & libero Concilio de controversis capitibus decid-

Sæcul. XVI.
A.C. 1585.

„cidatur: interim quod controversiæ
 „illæ in Synodo Tridentina decisæ di-
 „cantur, nequaquam mihi, nec aliis
 „multis probatur, qui sciunt, Synodum
 „illam neque legitime convocatam, ne-
 „que finitam fuisse, eo quod bello civili
 „in Galliis ardente Protestantes neque
 „interesse, neque audiri possent: qua-
 „propter ii haud auditi, nequaquam
 „rite condemnari potuerunt: insuper
 „sciunt omnes, in ea Synodo petitioni-
 „bus, quas Oratores regii proposue-
 „rant, minime satisfactum esse, ob id-
 „que Oratores regios prius protesta-
 „tione contra Pontificem facta Triden-
 „to Regis jussu discessisse: ceterum cum
 „post stragem in Festo S. Bartholomæi
 „perpetratam a vera Religione ad hæ-
 „resim transisse dicar, quamvis missis
 „Romam Oratoribus hæresim priorem
 „abjuraverim, id responsionem non me-
 „retur, quippe cum id, cum captivus
 „essem, vi, & metu a me factum om-
 „nibus constet, post libertatem tamen
 „recuperatam cessante illo metu, quid
 „meæ mentis esset, statim declaravi.

Insuper iisdem rationibus demon-
 strare nitebatur, quod nec Ecclesiæ ho-
 stis, nec quietis publicæ perturbator
 existat, hinc omnes, qui eum de ejus-
 modi criminibus accusarent, mendacii
 arguebat. Postea his verbis suum

R 2 edi-

Sæcul. XVI. edictum absolvit: „Peto igitur, ut tot
A. C. 1585. „hominum innocentium sanguini par-
 „catur, & a vexationibus, incendiis,
 „direptionibus, quæ bellum civile fe-
 „cum trahit, abstineatur, simul vero
 „mihi liceat singulari certamine, aut
 „cum duobus, vel pluribus privatam
 „hanc controversiam dirimere in lo-
 „co, quem Rex in regno assigna-
 „bit, aut si extra Regnum malint, id
 „permittatur eo in loco, ad quem tu-
 „tus accessus sit, cum id perhonorifi-
 „cum Guisio Duci foret, quod ad duel-
 „lum a Principe, qui ipsum longe di-
 „gnitate præcellit, provocetur, hinc
 „conditionem honeste recusare non po-
 „terit, tum vero Dominus Optimus
 „Maximus de utriusque partis jure de-
 „cernet, sicque Regi quies, Regno,
 „populoque Galliæ afflicto pax parabi-
 „tur, & impotenti Guisianorum adver-
 „sus Navarrum odio citra publicam per-
 „niciem plane satisfiet.„

Porro hoc edictum die decima Junii
 editum, Regique vigesima octava ejus-
 dem Mensis porrectum postea Parisiis
 divulgabatur.

§. VIII.

*Libellus supplex a Fæderatorum Du-
 cibus Regi traditus.*

Prius